Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tione sancti euangelii dicat audiamus. Non est arbor bona que facit fructus malos.
neque arbor mala faciens fructum bonum. Bonas ergo arbores et bonos harum fructus.
in constructione sui templi rex sapiens querit. At uero male arboris quis sit finis. idem
alibi docet dicens. Omnis arbor que non facit fructum bonum. excidetur et in ignem
mittetur. Arbores namque homines. fructus autem opera dicit ipsorum. Uultis enim nosse que
sint arboris bone. qui male fructus. Apostolus docet dicens. Manifesta sunt autem opera car
nis. que sunt fornicatio. inmunditia. luxuria. idolorum seruitus. ueneficia. in
imicicie. contentiones. emulationes. ire. rixe. dissensiones. hereses. inuidie. homi
cidia. ebrietates. comessationes. et his similia. Uultis audire an arbores que tales
fructus faciunt ad eterni regis templum celeste pertineant. Subiungit apostolus dicens. que
predico uobis sicut predixi. quoniam qui talia agunt. regnum dei non consequentur. Bone
quoque arboris fructus. subsequenter enumerat cum ait. Fructus autem spiritus est. caritas. gau
dium. pax. patientia. bonitas. benignitas. fides. mansuetudo continentia. De quibus
et alias admonens ait; ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonita
te et iusticia et ueritate. Qui nimirum fructus cum arboribus e quibus prodeunt. et hic ad
domum fidei. et illic ad habitationem superne beatitudinis ueraciter pertinent. Audiamus denique
arborem bonam de bonorum fructuum prouentu letantem. Ego autem sicut oliua fructifera in do
mo domini. speraui in misericordia dei mei in eternum et in seculum seculi. Fructus quippe
oliue. lucidum est opus misericordie. et ideo iure in misericordia dei sperat. in templo eterni
tatis. qui in domo dei presenti misericordie gratia resplendet. Iure se talis ad templum
magni regis pertinere confidens alibi dicit; Et misericordia tua subsequatur me omnibus
diebus uite mee. ut inhabitem in domo domini in longitudine dierum. At contra mala arbor
uideamus quales ferat fructus. et tales ipsi ferre uitemus. Dicit hieremias propheta.
Maledictus homo qui confidit in homine. et ponit carnem brachium suum. et a domino re